

265

263

269

250

259

274

254

314

214

364

164

Ende

Anfang

sancta montis Syon extra monasterium, et placuit Patri petitio nostra, et mirabatur in fervore peregrinorum: quod etiam post labores habitos adhuc se ultro offerrent ad ampliores labores: Nemo quippe aestimet visitationem sanctorum locorum esse laborem parvum: tum propter calores intensos solis, tum propter transitum et genuflexiones et prostrationes; tum etiam et maxime propter conatum, quo quilibet tota virtute conatur se excitare ad actualem devotionem et ad contemplationem eorum, quae in locis sanctis sibi demonstrantur, et ad devotam orationem et recollectionem, quod utique absque magno labore fieri non potest, cum talia quietum et non gyranter hominem **(97 A)** requirant. Conari ergo et niti ad mentis recollectio- nem cum corporis emigratione de loco ad locum exercitium est magni laboris; quod quidam peregrini ferre non valentes descenderunt ad quietem in hospitale, ita quod minor pars mansit in labore peregrinationis. Adjunxit ergo Pater Gar- dianus nobis aliquos fratres, cum quibus ire inchoavimus ex interiori horto fratrum, ubi comederamus. Cum ergo de illo horto claustrum ingredieremur, ante refectorium et coquinam, venimus ad cisternam profundam aquas habentem frigidiores, quam fuit in tota Jerosolyma. De hac cisterna dicunt haustam fuisse aquam a Christi discipulis pro coena dominica: pro temperamento vini, pro confectione sacramenti, pro lotione pedum et manuum, et pro aliis coenae usibus. Ob reverentiam ergo jam dictorum factorum aquam hausimus et cum devotione bibimus. De qua ego de post saepe abunde bivi in intensissimis caloribus, nec sensi molestiam. Credo quod ad literam fons iste sit unus de fontibus Salvatoris, de quibus dicitur Esai. 12.: haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: et sequente: exulta et lauda habitatio Syon. A fonte illo am- bitum sumus ingressi ad portam Conventus, quae foris dicit ad publicum. Porta haec est demissum ostium, per quod nemo ingredi valet nec egredi, nisi incurvatus capite et dorso. Janua tamen est fortis et ferrea, quae dum clauditur catenis et repagulis ferreis firmatur: et hoc propter furiam infidelium, ne commoti subito irrumpere valeant, et Conventum dilanient, sicut olim fecerunt, prout hodie cernitur in dormitorio juxta rosarium et librariam; ubi erant pulchrae cellae et opere

